DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. MARTII,

M. CAROLO DV PRE', Doctore Medico, moderatore.

An vt magno Mundo venti vtiles, ita ſpiritus paruo? 913

AER Planetarum βάθρον, quo in hæc inferiora ſuas demittunt vires congenitas, terrenorum vehiculum, quæ generandis Cometis etiam ſupra Lunam extollit, quæcunque Cœlum tegit ambitque colluſtrat omnia, mouet, permeat, afficit, conſeruat, ſuſtinet, complet. Huius agitati & commoti flatus & reflatus interpolatos attentius miratur philoſophus, quàm maris intumeſcentis fluctus reciprocos, quòd in amplam exurgat molem ſpirante vento & incubante ſpiritu, ille à ſeipſo concitetur. Aëris ῥεῦμα & χεῦμα ventus eſt à calore ſolis aut alterius corporis excitus, ſi aëris characterem rarefactio imprimat anathymiaſi, quæ καπνώδης ſemper non eſt. Apodixin facit terræ motus, quem aër excitat dùm locis ſubterraneis concluſus, vt ex eo ſe carcere in libertatem aſſerat, quâ data porta, erumpit, huc fertur & illuc, impulſuque deorſum quaſi pondere grauatus furit, reſilit, circumagitur ſubſultim obicis occurſu.

SVMMVS rerum artifex de ſuis theſauris ventos eduxit, & quatuor mundi cardinibus præfixit, quibus terræ temperiem conſeruaret, imbre tempeſtiuo plantas leniter irrigaret, ſatorum & arborum fructus ad maturitatem idoneam perduceret, aëriſque humidiſſimi calidiſſimi naturam illæſam à putredine vindicaret. Aparctias & Aquilo ſenſus hebetiores exacuunt, membris robur addunt, mouent languidiorem appetitum, deſtillationem cohibent, cœli ſerenitatem & puritatem adferunt ἐμψύξει, ῥιπίσει καὶ γενέσει ſpirituum valde accommodatam. Siccitatem & ſqualorem emendat Auſter, cui vt ſanitati conſulas, penuariam cellam ædeſque occludi iube, quas tamen ſubſolano aperias. Altani humoris πλεονεξίαν abſumunt, quam tropæi vnà cum ſalute temperant. Ἐπιχωρίων differentias & vires vix quiſpiam nouit niſi orbem vniuerſum peragrarit. Fauonij frigidi humidi Italis ſalubres, Aquitanorũ plagis haud innocenter incumbunt; alterati ad nos deuehuntur, locorum ac regionum, per quas tranſeunt, imbuti qualitatibus.

ANIMVM planè diuinum & immortalem nullique ſenſui peruium aut expoſitum cum obſcuro & compacto corpore ſine ſpiritus vt mediæ & interiectæ cuiuſdam naturæ miniſterio, iungi noluit natura, ſed auræ illi tenui & ætheriæ primum inſidens, incola fit noſtratis mundi, eoque ceu vinculo interpoſito tam diſcrepantes & ſuoptè genio repugnantes ſubſtantiæ, ſociantur, nectuntur, vniuntur: Is autem ſpiritus vtrique familiaris & ad vnguem aptatus, vt non prorſus ἀσώματος, craſſiori & corporeo facile miſcetur: Vt vero ſubtilior & pellucidior eſt, ab animi dignitate & conſortio non tam procul abeſſe videri poteſt: per artus diffuſus vniuerſi corporis agitat molem, regit ac moderatur eſtque ætherea quædam ſubſtantia inſito calore perfuſa partium ſimilarium & ſolidarum humori oleoſo inſidens.

NATVRÆ noſtræ δημιουργὸς, & ſeruator ſpiritus editi corporis membris omnibus ad mortem vſque affixus opus ſuum numquam deſerit, ſed vbique locorum, ne quid minus ſincerè & pacatè fiat, clauúmque regit veliſque miniſtrat. Ipſe τῆς διανοίας in cerebro functionibus præeſt; in oculo lucis & colorum, in lingua ſaporum & ſermonis moderator, pedes mouet ad inceſſum & concluſus in ſemine tres mirandas deſcribit delineatque embryi periodos, & ἀρχὴν μίαν. Is tamen, ne citiùs ac funditùs exoluatur & euaneſcat, nouus ab vnaquaque principe parte ſubinde ſuppeditatur & influit, qui vim non abſimilem per idoneos ductus ac peruios quoquouersùm diffundit, naturalis quidem à jecore deriuatus, quod vnicum eſt ἰκμαλέον, θρεπτικὸν, vitalis à corde profuſus ζωτικὸν, animalis ab arce mentis & conſilij profectus, neruorum operâ ſenſum & motum ſingulis partibus impartitur.

VT eſt ἄνεμος mundi quædam anima, ſic ſpiritus quidam eſt corporis noſtri ἄνεμος: ille marceſcentem ignem excitat igneumque calorem & quaſi nonnumquam ſufficeret pabulum, auget ac reficit: aërem quiete & ſitu putreſcentem expurgat: Vehementiores Solis & Sirii ardentes æſtus Eteſiarum flatu mitigat: non paucos hydrope laborantes aut tabe afflictos perſanat, quem mutaſſe ad diuturnorum morborum curationem pleriſque profuit: ſicque vernaculus extraneo præferendus, vt qui priſtinæ ſanitati & virium firmitati ægros plurimos reſtituit. Atque, vt verbo dicam, ſpiritus totius corporis fuliginoſa recrementa per occultam & latentem διαπνοὴν vnus expellit, humores vaſis contentos, cùm exagitat, putrêre non ſinit, actiones omnes promouet & admixtus flatibus, iners alioquin & ignauum omne hominum pecudumque genus ad ad venerem impellit & inflammat.

Ergo vt magno Mundo venti vtiles, ita ſpiritus paruo.

Proponebat Lutetiæ SIMON BOVLLOT Bajocenſis. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

hygi